101 19

Vir Maxime Reverende, Amplissime, Excellentissime

Domine Patrone et in Christo Pater omni benevolentia
et reverentia cultu devenerande

Causa, quæ per tantum temporis spatium calamo silentium injunxit
quo minus sc. responsa exarare potuerim, solis et qd. urgentibus, quibus
quotidie obruor, negotiis adscribenda est; tot enim tandiu me semper
cinctum deprehendo laboribus, ut interdum vix ad me datis literis
legendis, ne dicam responsis dandis par sim. Gratias interim, quasquas
saltem concipere valeo pro precibus hactenus pro me periculosissimo hoc tempore
fusis, ago, idemque munus et in me jam suscepi et quidem eo ardentius
quo majus periculum ab hoste Germano nomini infensissimo, Gallo puta
vobis hactenus adhuc imminuisse persuasum nobis fuit, Deum humili-
ter venerans ut Maxime Reverendam Tuam dignitatem Tuamque Nobilissimam
Familiam ab omnibus tum fortunæ tum belli injuriis sertam tectamque
quam diutissime conservare velit. Apologeticum B. Henricis Mülleri
(pro quo munere ut et Rodigalli scripto grates persolvo decenter)
accepi, et si de hoc judicium ferre jussu tuo debeo, non possum
non in eo, ubi etiam in reliquis illius scriptis, partim acutum dicendi genus,
partim solidam eruditionem theologicam, quæ in omnibus paginis se
conspiciendam præbet, extollere, quamvis si sententiam ejus vel caput
causæ de quo disputatur, respiciam, una cum reliquis Saxonicis
Theologis D. Lüsebero adstipuler.

De novo Scripto Montgalli, si judicium à me exigis, Vir Summè Reverende, placet quidem mihi fervidus ipsius zelus, quo contra adversarios (Papistas intelligo) exarduit; arrident insuper largiter inspersa hic dicta realia ad historiam Ecclesiasticam spectantia, quae Scripto eandem, quam flores horto, amoenitatem et gratiam conciliant; quamvis Stylus (ob prolixitatem et tortuositatem) aures legentium non adeo demulcere possit: inveniet tamen tractatus hic, si Bibliopola Augustanus eum Lipsiam deferat, me judice, emtores suos. Convitia et furores quibus Dominicani et Jesuitae partim in manes D. Senioris Mülleri, partim alios Nostrates debacchantur nullus miror, haec enim sunt illorum arma, ad quae, ceu Asylum, jam jam victi refugiunt. Deum interea ardentissimis precibus iterum atque iterum veneror, ut stolidae huic rabiei fraenum injiciat, et truculenta consilia, quae hostes in Summè Reverend. Excellentiam Tuam et totum coetum Evangelicorum struunt, irrita reddat. Gratias etiam pro libro uxori meae misso verbis illius habeo, satisfecit ille (ingenuè fateor) tum mihi tum conjugi exasse, praecipuè quod methodum, quae ibi adhibita fuit, attinet, mysteria et moralia aedificationi idonea ceu lac suavissimum sensim sensimque instillantem animo legentis. De amore et favore in filium tuum non est quod dubites, Vir Summè Venerande, ipsius etenim studiis, si illis inserviendi ulla occasio dabitur, neutiquam deero; opto saltem ut vestigia paterna in suo studiorum cursu pro scopo habeat, sic enim aliquando et Amplissimae Tuae Familiae et patriae et Ecclesiae nostrae Evangelicae non deerit decus, quo sibi gratulari queant. Denique Te, suavissimamque Tuam, verbis meae Conjugis salutatum et protectioni divinae commendatum velim

Maximè Reverendae Excellentiae Tuae

Lipsiae d. 4 Maji
A. 1707.

devotus cultor
L. Johannes D[illegible]
Diac. ad D. Nic.

Viro Maximè Reverendo, Amplissimo atq;
Excellentissimo Domino Andreæ Hardero,
Seniori Augustano Gravissimo, longeq; meritissimo
Theologo celeberrimo, Patrono meo et in
Christo Patri colendo, amando

Augustoburgum

102v